

Der nachfolgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen:

Nach der Zerstörung Roms durch die Gallier wird die Aufgabe der Stadt sowie die Übersiedlung nach Veji diskutiert. Furius Camillus nimmt folgendermaßen Stellung:

- 1 'adeo mihi acerbae sunt, Quirites, contentiones cum tribunis plebis, ut nec
tristissimi exsilii solacium aliud habuerim, quoad Ardeae uixi, quam quod
5 procul ab his certaminibus eram, et ob eadem haec non si miliens senatus
consulto populique iussu reuocaretis, rediturus unquam fuerim. nec nunc me
ut redirem mea uoluntas mutata sed uestra fortuna perpulit; quippe ut in sua
sede maneret patria, id agebatur, non ut ego utique in patria essem. et nunc
quiescerem ac tacerem libenter nisi haec quoque pro patria dimicatio esset;
10 cui deesse, quoad uita suppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas est. quid
enim repetimus, quid obsessam ex hostium manibus eripimus, si
reciperatam ipsi deserimus? et cum uictoribus Gallis capta tota urbe
Capitolium tamen atque arcem dique et homines Romani tenuerint,
uictoribus Romanis reciperata urbe arx quoque et Capitolium deseretur et
15 plus uastitatis huic urbi secunda nostra fortuna faciet quam aduersa fecit?
equidem si nobis cum urbe simul positae traditaeque per manus religiones
nullae essent, tamen tam euidentis numen hac tempestate rebus adfuit
Romanis ut omnem neglegentiam diuini cultus exemptam hominibus putem.
intuemini enim horum deinceps annorum uel secundas res uel aduersas;
20 inuenietis omnia prospera euenisse sequentibus deos, aduersa spernentibus.
iam omnium primum, Ueiens bellum – per quot annos, quanto labore
gestum! – non ante cepit finem, quam monitu deorum aqua ex lacu Albano
emissa est. quid haec tandem urbis nostrae clades noua? num ante exorta est
quam sprete uox caelo emissa de aduentu Gallorum, quam gentium ius ab
legatis nostris uiolatum, quam a nobis cum uindicari deberet eadem
neglegentia deorum praetermissum? igitur uicti captique ac redempti tantum
25 poenarum dis hominibusque dedimus ut terrarum orbi documento essemus.'